

M. D. LXXXVII.

Inter graviora hæc parva quædam ac levia intercessere , 1587 certantium studiis in contentiones non leves , ni opportune provisum foret , eruptura . Nam cum eo hominum petulans se se extulisset ambitio , ut , veluti iis propria nomina forderent , novis insuetisque excogitatis titulis uterentur , quæ pestis ab Hispanis exorta se in omnem fere Europam diffuderat ; ei malo in suis regnis Philippus obsistendum ratus , edicto (quod *Pragmaticam* vocant) sanxit , ne quis , præter Hispaniæ proceres (hi sunt , qui tecto capite Regi adstant) Duces Marchionisve , Domini titulo uteretur . Ex eo decreto ingentes oratorum querelæ : Xysti Nuntius rem ad Pontificem spectare ; Cæsaris legatus ad Imperatorem trahere ; Venetorum orator , si quid de prisca consuetudine immutandum esset , ne , se inaudito , quidquam fieret , petere . Ea re Xystus haud parum commotus a Rege edictum corrigi efflagitat ; rem ad Cardinalium collegium defert ; Philippum in excommunicationis sententiam lapsum censet ; librorum vetitorum indice comprehendendi pragmaticam jussurum affirmat . Cardinales , anathematis indicta poena , ab ea servanda prohibet . At Philippus Principum oratores , qui statim secum cæremoniis intersunt , intercludi edicto nolle affirmat . Xysti Nuntio , ut viris eruditis , theologicæque scientiæ peritis examinandum negotium permitteret , petente , de Pontificis jure ea lege nihil imminui censuere : itaque edictum firmum manere statuit , cunctandoque controversiæ finis impositus .

Galliæ quoque Rex , cum Veneti Joanni Delphino Joannem Mocenicum oratorem suffecissent , qui , licet Sabaudicam legationem obivisset , nondum tamen Sapientis continentis magistratum attigerat , recipere eum se posse negat . Haud parum de sua existimatione detraictum iri , si , Hieronymo Lipponano , qui apud Cæsarem orator fuerat , in Hispaniam misso , is , qui inter præconsultores nondum fuerat , ad se legaretur ; Hispanos quacunque in re callide agere ; nihil , quod ad eorum dignitatem supra ceteras efferendam attineat , omittere ; cunctorum in oculis bac agi . Quis , si utramque le-

Hispanorū
rum de tio-
tulis prag-
matica .

Henricus
Gallia Rex
Joannem
Mocenicum
oratorem ;
admittere
renuis .

gatio-